

h. 114^o 36

Q. B. V.

W
g
1150

ENCOMIUM
ILLUSTRISMI QVONDAM DYNASTIE
DN. HEINRICI
POSTHUMI,
SENIORIS IN JUNIORE LINEA RUTHENI,
DOMINI DE PLAVIA, DOMINI DE GREIZA, CRAN-
NICHFELDA, GERA, SCHLAIZA ET LOBENSTEINIO,
HEROIS JAM TUM BEATISSIMI,
QVO ADUMBRATO,



AD

Aetum Progymnasticum IX.

EUMQVE ENCOMIASTICUM,

CRAS, DEO INNUENTE, HORA II. POMERID.

HABENDUM,

ILLUSTRISSIMOS

COMITES AC DOMINOS,

JUNIORIS LINEÆ RUTHENOS, DOMINOS

NOSTROS GRATIOSISSIMOS,

MAXUME VENERANDOS

DNN. INSPECTORES,

SUMMOSQVE VIROS, DOCTOS AC BONOS O-

MNES, GERÆ QVI JAM HABENT,

HUMILLIME, OBSERVANTISSIME, OFFICIOSE PER QVAM ET AMICE

INVITAT

M. JOHANNES WENDLER

Illustris Ruthenéi CORRECTOR.

GERÆ, Literis Wertherianis.





Et ut cæteræ omnes, sic & hæc **Ge'or'g'ius** est Davidis, Regis & Prophetæ divinitus illustrati sententia, quæ sic sonat: *In memorâ æternâ erit iustus.* Per *justum* qvem Rex & Vates sacratissimus intelligit alium, nisi Hominem, qui Christi, Sospi-tatoris optimi, justitiam non tamen essentialē, sed meritoriam & imputativam, qvam vocant. Theologorum Filii, fide apprehendit, vitaq'que justitiam huic fidei justitiæ addit, hoc est, vitam justam, divinæq' voluntatis normæ conformem, qvatumq' videm per humanam infirmitatem licet, hic agit, Deo adjuvante? Et hujusmodi justum longè dignissimum esse affirmat, qui omni laudis adorâ nullô non tempore, & ab omnibus qvidem condecoretur. Qvod ipsum respexit haud dubiè Gregorius Nazianzenus ab omnibus Græcis ob singularem autoritatis suæ excellentiam primus post Johannem Evangelistam Theologi ac Magni cognomine illustratus: *Præstantissimorum, inquietus, maxime memoræ esse debemus, qvorum vel sola recordatio sancta est & utilis.* Jam qvum illustrissimus DOMINUS, DN. HEINRICUS POSTHUMUS, JUNIORIS LINEÆ RUTHENUS, Dominus de Plaviâ, Dominus de Crannichfelda, Gera, Schlaiza & Lobensteinio, Fundator Athenei nostri munificentissimus, piæ memoriae Heros, veræ *Justorum* e-tonæ, omnium qvidem applausu jam tūm fuerit insertus: cum plures Dynastas omnium virtutum cultu superaverit, à nemine verò unquam sit superatus: *Justi* hujus HEINRICI gloriosissima memoria, uti Phidias effigies Minervæ scuto, nostris omnium oculis, labiis, pectoribus infixæ meritò hæret affiduè, & æternum hærebit, nunquam hinc eruenda. Hinc xujus encomium nostris exhiberem in qualicunq' programmate, qvō actus encomiasticus indicandus, benevolaq' Mæcenatum, Fautorum & Amicorum audientia, ceu decet, procanda, jam nunc meditanti, semperrena beatissimi Dynastæ memoria hunc ipsum offerebat statim, longè abundantissimum laudis omnis argumentum. Et hoc oblatum ambobus, qvod ajunt, amplectens illicò, tantum HEROA non qvidem exprimam graphicè (hoc enim à mea in dicendò ruditate qvis expectet?) ea ta-men lineamenta ducam vilis & exiguae facundiæ coloribus, ut ex iis facilem de Ipso conjecturam legentibus relinqvat. Pictores nimis imitabor, qui cum ingens Hominum congeries in tabulis scribenda venit, summa tantum adpingunt capita, abscondunt corpora & spectantibus cogitanda relinqunt. Ut igitur jaciam tandem aleam, si verbis Claudio, Poëtæ nobilissimi,

*Nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus atq' omnes redeunt in semina vires.*

Ptole

Profectò & Gentis, & Generis, unde ortus noster RUTHENUS, claritudo ingentem gloriæ honorisqve cumulum exstruit Eidem. Qvod enim est ad Gentem, qvæ Prosapiæ Ruthenicæ suos dedit natales, utut hanc vel Columnesiorum, vel Drusi Germanici esse afferenti Peckensteinio & qvè minus, ac Spangenbergius, Volaterranus & Zeilerus, assentiamur: Romanarum tamen qvandam, eamqve & vetustate, & meritis in Republicam esse illustrissimam, non turbidæ fidei nec ambiguæ, sed puræ liquentisqve rem omnino habemus. Firmat hic & informat nos ipsum Diploma Friderici II. Cæsar, Regis Siciliæ & Solymorum, alicui Majorum in hac Familiâ Illustrissimorum Dyadi die X. Maji, A. C. 1232. qvam clementissimè concessum, nec semel post deinceps ab hujus Successoribus repetitum, ex qvô hæc saltim verba excerpere libet in præsenti : *Notum facimus omnibus Christi Fidelibus, qvod Nobiles Domini de Plauen, nostri & S. Rom. Imperii Advocati & iunc temporis exercitus nostri Capitanei, HEINRICUS Senior & HEINRICUS Junior, strenui Milites ex nobilissimâ & antiquissimâ Prosapiâ Romanorum veteranorum orti & progeniti sint.* Jam si illustrium Familiis auctoritatem vetustas affert, cōqve dignior unaqvaqve æstimatur, qvô antiquior est, & longiori temporum traectu decus suum custodivit, certè Ruthenica vix ac ne vix quidem ulli cedet. In qvam submotas enim ætates, in quas decursa secula recurrendum est, si primum Gentis Ruthenicæ Conditorem, Ecbertum reqviras? qvot antiquissima nomina in testimonium vetustatis RUTHENI citare possunt, de quorum splendore per dignitates illatò si dicere vellem, de Advocatis & Tutoribus Imperii Romani, de hujus Cancellariis, Consiliariis, Judicibus, Ducibus bellicis, Borussiæ Gubernatoribus, Misniæ Burggraviis & Principibus, quam Principalem dignitatem Imperator, Sigismundus An. 1426. ipsis contulit, Albertus II. verò, Maximilianus I. Carolus V. & Ferdinandus I. confirmârunt clementissimè, mihi foret dicendum? Ex tam vetustâ & augustâ, tam numerosâ & gloriosâ Familiâ natus est HEINRICUS, RUTHENUS, Dynasta æternum celebrandus, & quidem A. C. cl. I. LXXII, die X. Junii, horâ II. pomeridianâ. Patrem habuit HEINRICUM, Jun. Lineæ RUTHENUM, Dominum de Plavven, &c. trium Filiarum & unici hujus Filii Genitorem, Natum Patris HEINRICI, emnqvillus & pacificus qui audiit, æmulum reverâ, Dynastam in primis pium, munificentissimumq; tunc temporis Exulum & exagitatorum maximè Sacerdotum Obadiam. Edidit autem hoc cœleste pignus DOROTHEA, ex illustri domo SOLMENSI COMES, omnigenis matronalium virtutum decoramentis maximè conspicua, qvodqve memoratu oppidò dignum, à paulò antè, postridiè scilicet nonas Aprilis defunctò Beato Conjugè relicta proh dolor! Vidua. Qvò majoribus autem periculis in uterò Matris mœstissimæ,

maturò qvippe Mariti obitu propemodùm exanimatae, qvin & ad arcam
qvam ingentem graviter pòst offendentis, exposita Proles hæc mascula;
qvantò ardenteribus subditorum votis, precibus & desideriis expetita,
tantò majori plausu, gaudiō & gratiarum actione excepta, HEINRICI-
qve Posthumi nomine insignita. Scilicet exitum invenire in rebus du-
biis Deo est proprium, loquente Philone sapientissimô, & qvicqvid am-
plificandæ suæ gloriæ certissimum fore organon multò antè prævidet
Omnisci bonitas, mirandum in modum tuetur, & omni hominum op-
nione amplius, tandem tempori educit. Supersedeo autem hîc comi-
morare Præcelsi nostri HEROIS lineæ cùm Paternæ, cùm Maternæ Ma-
jores, qvorum res bellô juxtim ac pace inclutæ non ab exiguô eloq-
tiæ officiô mutuantur laudem, qvippe in æternitatis theatrō gloriæ
jam cùm asssecutæ. Neqve etiam, qvæ summum istud Decus suum & præ-
sidium suô excepit gremiô, exceptumq; complexa fuvavissimè, arcem, O-
stersteinum, à Gerâ, urbe conterminâ Elystro, flumine distinctam, ame-
nissimo, eôq; luco insigni in monte sitam, antiquam RUTHENORUM
sedem, operosius heic prædicabo. Plus enim decoris & claritatis hæc à tam
grandi Numinis Depositô, qvod primum fuit osculata, nostrô scilicet
RUTHENO, qvam Hic ab istâ percipit reverâ, qvæ vera demum summo-
rum Virorum laus existimatur. Umbra enim est, bulla, & si qvid vanum
magis, omnis patriæ amplitudo, nisi virtutum splendore velut enitescat.
Ad Illum igitur ipsum nunc propius accedam, & maturæntis paulu-
lum ætatis laudes non decantandas, ceu decet, sumam, sed levi modò
brachiō attingam. Egregiam videlicet indolem ex valde etiam puerô
cum effulgere cerneret Mater illustrissima, nec minus Tutores qvam
maximè providi, & ex his præcipue Præcelsus Avunculus, OTTO, Comes
de SOLMS, id unicè dederunt operam, ut nobilissima in primis virtus,
pietas, ars & sapientia tenello adhuc instillarentur uberrimè, ac in inti-
mum veluti pectus depangerentur. Non enim ignorabant, plurimum,
qvin omne momentum in bonâ educatione fideliqve juvenum institu-
tione situm esse. Hinc vix septennem piis non minus, ac doctis morum
Magistris & Informatoribus tradiderunt maturè, à qvibus primum o-
mnium in veræ pietatis ac religionis capitibus adeò fuit fundatus, pòst
optimarum artium ac virtutum cognitione omni curâ studiôqve sic im-
butus, ut celeberrimum propter Salam Athenæum adire, visus fuerit
multò dignissimus. Hic cum per annum, & qvod excurrit, nec minori
cum laude, qvam fructu commoratus esset Noster, luculentissimum o-
ptimi Juventutis Principis exemplar, ingens Argentoratensis Academiæ
celebitas, qvam præter alia septem Principum, ac triginta duorum Co-
mitum & Baronum Juniorum præsentia cùm dabat, virtute plus qvam
magnetica ad s. istū pertraxit. Huc cum A. O. R. cl. I. LXXXV. p. centū,
qvan-

quantus virtuti HEROIS nostri, in qvō excurseret, cæterosq; suos dñvi-
ni ortus Commilites nī antecelleret Hercules, æqvaret tamen, campus
aperiebatur? Qvis verò hīc vibrare hastam, stringere gladium, inferre
aut declinare ictum, expedite insilire eqvum, sedere decorè, hunc tem-
perare, agilitatem vigoremq; corporis ostendere & constantiam undiq;
probare invictam Nostrō cupidius discebat? Qvis rectius dein ipsō eadē
noverat? Quantum flexanimæ isti Reginæ, eloquentiæ datum ferè per tri-
ennium, quantosq; in hujus studiō maximè industriō fecerit profectus,
me qvoq; tacente, loquantur illustria verè Orationum à Nostrō Argen-
torati publicè habitarum specimina, qvæ Junius, eloquentiæ ibidem Pro-
fessor famigeratissimus, cum eruditio Orbe æq;, ac alias dudum commu-
nicavit. Qvod si verò nobis cum Gente Amazonum in corporum maje-
state veneratio est, magnorumq; ve operum non alios putamus capaces,
qvām qvos eximiâ specie donare natura est dignata; RUTHENO nostro
non parūm laudis ac venerationis vel hinc debetur. Contigerat enim
Nostro non Tydei vel Cononis, sed Ajacis, vel ea certè statura, qvam, teste
Stagiritâ, nonnulli Æthiopum, nec minus, referente Strabone, Insulæ,
Meroes incolæ in iis reqvirebant, ad qvos summa rerum erat deferenda.
Membrorum compages ad exercitia, qvæ illustri persona digna, erat sin-
gulariter apta; humorum ad sanitatem in senium usq; bona bona erat
temperatura. Summatim ut dicam, qvæ Plinius II., Atticus Orator in Pa-
negyrico de Trajano, Imperatore laudatissimo laudat: jam, inquietus, fir-
mitas, jam proceritas corporis, jam honor capitinis & dignitas oris nonne lon-
gè latèg; Principem ostentant? ea ad HEINRICUM Posthumum nostrum
oppidò quadrant. Ut verò pulchrum hospitiū Hospitis non indecori, sed
elegantis, qvi multò reddit pulchritus, haut raro est indicium: Sic bona
qvoq; corporis constitutio, qvâ togatus HEROS noster gavisus, animi
qvoq; vigorem, faciei decor ac elegantia ingenii qvoq; pulchritudinem,
membrorum alacritas alacres itidem sensus & penetrantisimam inge-
nii vim arguerunt haud inevidenter. Errare qvidem visus fuit Senecæ,
laudatissimo inter omnes veteres Scriptores & virtutis studio penè Chri-
stiano, Vates iste Mantuanus, Virgilius, canens ita: Gratior est pulchro
veniens è corpore virtus. Ast illustrissimus RUTHENUS noster verita-
tem hujus, si qvis unqvam, suō ipsius exemplō egregiè comprobavit. Qvâ
enim cum amœnitate, qvâ gratiâ & decoro præcipue illæ virtutes, qvas
tùm Scriptura S., tûm saniorum Philosophorum Schola bono in Dynastâ
reqvirit, ex ornatissimo Nostrî corpore resplenderunt? Agmen inter has
meritò dicit pietas, qvæ, ut singulare Principis ornamentum, sic omni-
um virtutum basis seu fundamentum, animum RUTHENI nostri non
hospitum, sed fixam sibi sedem elegerat. Clarissimis pignoribus loqui-
tur hoc utrumq; ve plissimi HEROIS Symbolum nummo ejus exseqviali-

utrinque impressum, peculiari programmata jam' tum explicatum.
Testis hic generalis illa Ecclesiarum, quæ per Ditionem Ruthenicam
tunc haud parum turbatæ, visitatio non sine præviâ, piâ graviqve delibe-
ratione instituta, quâ rem sacram incredibili sapientiâ certos in ordines
redegit. Testis est nostra Ruthenica Confessio, Scriptum cordatissimum,
quam, ringente, multumqve oblatrante Satanâ, non sine magnâ labore
sumtibusq; denuò procudendam iste curavit. Hic etiam loquantur tue
templa, quæ pius Noster JOSAPHAT vetustate labefactata, nitori resti-
tuit, angustiora laxavit, è fundamentis nova eduxit! Maximè verò o-
mnium surgat hoc ipsum illustre Gymnasium, pietatis sedes, artium lin-
gvarumq; officina, virtutum dômicionum, quod incomparabilis ferè no-
stri RUTHENI pietas, & anno qvidem præcipitantis hujus seculi octa-
vô condidit, tot proventibus auxit, tot beneficiis cumulavit, tot orna-
mentis decoravit. Te quoqve compello, Aedes Schleizæ, urbis Ruthenicæ,
à monte, ubi sita, quæ ducis nomen, quondam Deiparæ Mariæ sacra,
Zelero hinc Mons divæ Virginis appellata & pulchritudine reliqua
Varisciæ templo longissimè exsuperans. Parva antehac & angusta quod
amplior & angustior, antiqua quondam quod profus nova, non adeò
conspicua quod tam egregiè ornata paulò post conspiceret, id verò, in-
quis, mihi præstigit eximiâ pietate ardentissimôqve suô pro religione ze-
lo THEODOSIUS iste RUTHENICUS. Taceo cætera, quæ pientissimus
Dynasta summâ curâ sumtuqve liberalissimô crexit, creata ornavit, or-
nata singulari amore complexus est & fovit. Nempe statim pietati mu-
nificentia comes individua se adjungebat, ut omnino se satis pluim non
putaret Noster, nisi munificus quoq; & magnificus existeret. Hinc & or-
ta omnium, qui vel Ecclesiæ, vel Scholæ præerant, liberalissima susten-
tatio, hinc nata subsidia & eleemosynæ, quas numerô non exiguô Ho-
minibus probatæ tamen, quæq; tunc temporum cœperat esse iniqvitas,
acerbius exagitatae pietatis, cum exilio, cum paupertate confistantibus
erogavit. Neq; æratio suo ex his largitionibus sacris ullum metuebat da-
mnum, certissimè cum Theodosiô Magnô, Imperatore persuasus, nun-
quam defuturam Fisco suo pecuniam, quamdiu Ecclesiarum Scholarumq;
Doctores, & Homines egeni ex eo sustentarentur. Silentio premo
convivia, quorum sex nuptiæ illustres partim suæ ipsius, partim Filia-
rum quatuor, decem septem exoptata Prolis illustrissimæ Genethlia, no-
vem tot suorum funera jubebant adparare. Nec commemoro adparatus
supra sexaginta sex nuptiales, & triginta exsequiales, tum nobili loco na-
tis, tum Ministris quibusdam Aulæ aliis, nec sine ingenti sumtu magni-
ficè factos. Prudentiam, quæ, ut Hieroglyphica Veterum Philosophia do-
cet, oculus est in mucrone gladii & Sceptri Regii apice, Dynasta deside-
ratissimus conspicuam certè fecit prudentissimâ rerum & actionum o-
mnium, in primis Aulæ, Curiaz, totiusqve Ecclesiastici non minùs, quam

Po-



Politici Status dispositione, sagacissimò de futuris eventibus auguriò,
sapientissimò de negotiis gravibus suscipiendis & conficiendis judicio.
Tacitus mecum veneror juxtim & admiror magis, qvam non satis, ut de-
cet, exorno verbis justitiam, firmam boni Imperii columnam, imò ani-
mam, clementiam, potentissimam in Principe dotem, fortitudinem vir-
tutesq; alias, qvarum templum, admotus tunc ad Aulam Ruthenicam,
non aulam eam, RUTHENUMq; non Hominem, sed Deum esse cre-
debat. Scilicet ut, simul formosum os luna protulit cœlō, simul stellarum
chorus incedit unā: Similiter pietatem comitatus virtutum splendidis-
simus seqvitur & ministerii instar præstò est Dominæ atq; perpetuò hæret.
Nec, qvam pietas annexā sibi habet, ingens utilitas unqvam à Nostrō fuit
desiderata, sed potius eventu certissimò comprobabatur hīc effatum
istud Davidis: *Beatus Vir, qui timet Dominum, gloria & divitiae in domo*
ejus. Qvanto enim honori vergit pientissimo Dynastæ nostro, qvod Dei
vices quoq; his in terris, RUTHENICIS puta, gesserit, ita qvidem, ut o-
mnium, qvi parebant, amorem in se derivârit, famamq; virtute & me-
ritis longè latèq; propagârit? Quantum gloriæ hōc accessisse ipsi vide-
mus, dum non Baronibus tantūm, Comitibus, Principibus ac Electorio-
bus Serenissimis, Palatino scilicet, Friderico, & Saxoniciis, Christiano II.
ac Johanni Georgio I., potentissimo insuper Daniæ Regi, Christiano IV.
qvin ipsis etiam augustissimis Cæsaribus, qvos debitâ pietate coluit
semper & veneratus constanter est, gratus omnino fuit & acceptus?
Qvò factum, ut non à Rudolpho tantūm II, sed & Matthiâ ac Ferdinan-
dō II. gloriofissimæ memoriæ Imperatorib; Consiliariorum in nume-
rum fuerit adscitus, nec semel Celsissimorum Saxon. Electorum, sed &
Cæsar. Majestatis nomine, gravissimas legationes satis feliciter obierit.
Quid dicam de utrōq; sat honorifico Conjugiō, qvorum alterum cum
Illustrissima DN. MAGDALENA, ex inclito Comitum de Hohenloh &
Langenburg &c. Stemmate oriundâ, alterum cum Illustriss. itidem DN.
MAGDALENA, præcelsâ Comitum Schwärburgensium Rudolpho-
politanæ Lineæ Stirpe progenitâ contraxit, utq; ex priori Filiâ, sic ex
posteriori septem & decem Filios, qvibus Viris Principibus nullum ma-
jus presidium, effatō Taciti, contingere potest, ex votō suscepit. Πολυ-
τεκνία hōc, qvæ magnum Dei & naturæ beneficium, impensè delectaba-
tur Noster, magis tamen εὐτεκνία, tribus ex Filiabus, unā qvidem illustris
perqvam DN. CHRISTIANO SCHENCKEN, L. Baroni de Taunenberg,
ceteris verò Duabus Pari Comitum de Mansfeld illustriss. elocatis Ne-
potes & Neptes cernere plures oppidò gaudebat, non infelior Avus,
qvam Pater. Qvantam quoq; in lætitiam dabatur, qvatuor Filios præ-
claros sui æmulos, HEINRICUM scil. II, III, IX. & X. amplecti, firmishi-
maq; tūm Generis præcelsi, tūm Provinciarum culmina pariter ac co-

lumina relinqvere, divinâ bonitate cum contingere? In his ut se, & cum
extinctus esset, cum Deo victorum sperabat: sic & in tribus adhuc NEPO-
TIBUS, undecim verò PRONEPOTIBUS præcellis superstes est, ut suō in
sangvine, inq; suā, utinam æternō flore conjunctā imperat POSTERITA-
TE! Nec verò alterum, qvō Hieropsaltes domum verè pii dicit esse insi-
gnem præter gloriam, divitiæ nimirūm & opes defuerunt Nostro, qvod
verbosius adducerem, nisi, ut olim Apelles partem Veneris, sic ego, justis
exclusus spatiis, inchoata relinqvere cogerer qvā plurima. Qvod si tan-
dem proœcta ætas, & placidus facilisq; exitus non minimam beatitudi-
nem conferre putantur, non est certe, qvod Dynastā nostrum raræ felici-
tatis exemplis excludamus, qvippe qvi annum ætatis 63., Climactericum
magnum vulgo dictum, egressus placidè in Dominō exspiravit. Sunt qvi-
dem in ipsa illustriss. illustrissimorum Ruthenorum gente gloriaqve &
meritis decantatissimā, qvibus insignia vel naturæ, vel fortunæ bona
non extingendum nominis decus pepererunt, qvin ipsa qvoqve præ-
clara vel Probi, vel Divitis, vel Longi, vel Strenui, vel Oratoris, vel Pa-
cifici dederunt cognomina. Utut verò hi aliiqve plures veniant cum No-
stro in societatem gloriæ, qvam natus est, immortalem, ita tamen ve-
niunt, ut Nostro, qvi meritis omnes supergressus est, priores atqve am-
pliores partes ultrò concedant. Itaqve, ut paucis multa complectar &
verbō quasi dicam, verè affirmare possumus, naturam suas vires, pruden-
tiā suas artes, fortunam suas opes, verius Deum Opt. Max. bona mo-
dō non omnia ultrò indulisse HEINRICO Posthumo, HEROI nullā
unqvam ætate silendo & ob exempla virtutum maxima, qvæ dedit, sine
summis laudibus nunqvam coimmemorando. Ignoscet verò, illustrissi-
me DYNASTA, qvi inter Cœlites jam tūm triumphas, si imparem sty-
lum tuæ magnitudini haçtenūs submisi. Certè qvod si ex ungve leo, si
ex pollice Gigas, si ex umbrâ corpus cognosci potest, fortè aliquam hīc
tui umbram adumbravi, feci qvæ non qvod volui, sed qvod potui, nostris
potissimum Encomiastis hâc etiam vice prætiturus. Sunt autem isti à Pro-
logō simul & Epilogō, Lebrecht TOBIA Heublern/ Pænicā-Misnico, MI-
CHAEL Gattermann/ Planiziō. Misnicus, JOHANNES Nost/ Geranus,
JOH. FRIDERICUS Fischer/ Geranus, IMMANUEL Lehmann/ Anna-
bergā. Misnicus, JOH. FRIDERICUS Allich/ Schlettā-Misnicus, & I. for-
titudinis qvidem laudibus ab HEUBLERO nostrō decantatis, exem-
plum hujus ACHILLEM, II. JULIUM CÆSAREM, III. STARCHA-
TERUM GOTHUM, IV. BOGISLAUM POMERANIAE Ducem, V.
DAVIDEM, quantumqvisqve potest, præ cæteris extollet. Singuli ve-
stram, PATRONI, FAUTORES & AMICI cō, qvō decet, modō æter-
nūm observandi, colendi, præsentiam benevolamqve audientiam me-
cum aīs ēntevēs aīa precantur, ingrati nunqvam futuri. P.P. GERÆ,
ad d. XII. Augusti, A. O. R. cīc loc XCIII,

1077

M. C.



h. 114795

ENCC
ILLUSTRISSIMI QV
DN. HIL
POST

SENIORIS IN JUNIO
DOMINI DE PLAVIA, D
NICHELDA, GERA, SC
HEROIS JAM S
QVO A



Actum Progr

EUMQVE EN

CRAS, DEO INNUE

HAB

ILLUS

COMITES A

JUNIORIS LINEÆ I

NOSTROS C

MAXUME

DNN. INS

SUMMOSQVE VIROS

MNES, GERÆ

HUMILLIME, OBSERVANTISSI

IN

M. JOH A

Illustris Ruther

GERÆ,

Centimetres
Inches

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

3/Color
White

Magenta
Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

(X 2000 315)